CARMEN PANEGYRICUM,

SIVE

PARÆNETICUM,

Postridie Inaugurationis

DOM. PROTECTORI

AB

Aug^no. Wingfieldo

DICATUM.

AC NUPER

Cum Scholiis & Animadversionibus

In Selectiora vocabula,

Ab *Anonymo benevolo* illustratum.

LONDINI,

Excudebat *Gulielmus Godbid*, M. DC. LVI.

CARMEN PANEGYRICUM,

SIVE

PARÆNETICUM,

Publicæ Inaugurationis

DOM. PROTECTORI

AB

Aug. Winfield

Cum Scholiis &c. Animadversionibus

In Selectiora vocabula,

Ab Anonymo benevolo illustratum.

Lectori Salutem.

CUm non ità pridem, hoc quod ſubjecimus Poema, in manus meas perveniſſet: mole quidem & corpore breviuſculum; Virtute verò & ſpiritu grande ac magnificum, dignumque ſanè viſum eſt, quod in lucem exeat, flammis Poeticis coronatum, Utpotè ab Authore compoſitum, non modo κομψότητι elegantiâ ſenſuum, sèd (quod paucis hujus ævi Poetaſtris, vel Semipaganis, quod ait Perſius in Prologo, vel Paganis contigit) καθαρότητι puritate

Sermonis. Quarè non alienum à meis ſtudiis exiſtimavi, etſi nollem in alieno opere videri curioſior, ni paucis elaborarem, quò Intellectior & clarior Typis mandaretur.

Quanquam equidem deridendum me naſutioribus propinare videar, utpotè qui Commentatorum Ineptias, oſtentandæ variæ Lectionis causâ, non verear imitari, Qui quaſi denigrare Tenebras, Solemque ſe poſtulent inalbare. Ea nempè quæ faciliora ſunt, magno opere expedire non ceſſant; Diſſimulanter autem, & quaſi furtim, ſi qua ſint Obſcuriora prætereunt.

Quod ne mihi vitio detur, Operam dedi, ut ſingula fere vocabula, diſtincte ſeorſimque tractarem: Singulis enim ſenſus graves & quaſi Momenta ſua ineſſe

meſſe perſpexi. Niſi forte ſtudioſa pigra, eôdem cum Eustathio, Servio, *cæteriſque Errore teneat, Quæ in Homero ſuo, Virgilio, plura fortè quàm unquam Ipſi Auctoribus in animum venerat excogitaverunt; Sed reverà, magna Sylva Rerum & Verborum, velut in perſpicillo comparet.*

Subjectum Ipſum, ſi ità liceat dicere Principale & Heroicum, planeque Ἡγεμονικον. *Etſi non auſim vel præfiſcinè affirmare quod Ille*

—Materiam ſuperavit opus;

Satis eſt ad gloriam, ſi vel coæquaverit. Hoc enim αὐτοσχεδιασμα, *nocte unicâ, ſed Atticâ, interpoſitâ, confectum eſſe, monſtri ſimile eſt, cùm ea quæ perfectiſſima plerúmque* lentiora *ſint. Quic-*

quid sit, habes quo fruaris. Et ne nihil me etiam rei cum Musis habere censeas, Meum quoque, ut dici solet, pro Symbolo in rem præsentem Tetrasticon, Boni consule.

Accipit Invictus Dux magnum in tempore Sceptrum,
Et bene de Musis vult meruisse piis:
Inde Volens Vates, facit aptum ex Tempore Carmen!
An melior Princeps Ille, Poeta vel Hic?

A. B.

Dom. Protectori

CARMEN PANEGYRICUM.

Salve Magne Pater! Patriæ Protector avitæ!
Cingant Sacra tuum, Jus Pietasque Thronum.

Sta Græcis Romanisq; tam frequens Salutatio, ut Avicülas etiam Musicas docere soliti sint — Χαῖρε Καῖρε, ut scite alludit *Persius* in Prologo Choliambo. Alias in Epistolis — Ἐυτυχεῖν & Ἐυτυχῶσθαι pro bre Vocabulo gaudium; posteriore virtutem significante. Quia Is demum bene gaudet, qui bene agit, vel bene rem gerit. Quoniam vero, omnia bona, Salute continentur, Poeta Patrono, Salutem acceptam refert. Novi Instrumenti Scriptores — Χάρις ὑμῖν, Gratia vobis, gratiâ nempe Salutem præeunte. Ethnici ὑγιαίνειν, Valere, quia in Bona Valetudine, summam felicitatis inesse censebant. (*Mart.*)

Nam est Vivere, sed Valere vita.

Ita Pater Patriæ, solenni & antiquo more, dici solitus est Princeps. Non quia Rempublicam ipse genuerit, & quasi procreaverit, (ut Noster Hic) sed quia Parentis loco, summa cum benevolentia, æquitate, clementia administret. Quem ad modum, apud Veteres, non Dominus, sed Pater Familias dictus est, ut Servos suos, perinde atque Liberos tueatur.

Quod

Protegat. Quòd sub ejus Tegmine, populus recumbat suaviter. Vel quia miseris & egenis pro Tecto esse debeat, & quasi pro Lari & Tutelari. *Richardus Tertius*, hoc Nomine primùm fatus, Rex, qui (à malis moribus, Optimas quidem sanxit Leges. Tum *Comes Somersetensis*; *Edwardi Sexti*, piissimus, & fidelissimus Tutor Imperii, Magnusque Primus apud nos Reformationis Artifex.

Avita. Avitam notat, quòd à Majoribus, sive Habitata, sive Regnata sit. Scitum est Illud *Horatii*,

——— *Maecenas atavis edite Regibus.*

Cingant. Vel per modum Coronæ, vel per modum Concionis; ut ——— *Considere Duces, & Vulgi stante Corona.*

Vel denique per modum Præsidii: postremò, uti velut in proximetu hinc ad munia sua obeunda, ——— *Jussi.*

Sacra. dicta parùm convenit cum *Pindarica*, tamen cum *Pindaro*, benè congruit, & si referatur ad *Cingant*, est Zeugma. Sacrum verò appellat, ad discrimen Moralis Pietatis, & Juris, quod etiam Ethnicis posset ascribi; Contra, quàm *Lucanus*, ——— *Jusque datum sceleri canimus.*

Denique enim Justitia (ut acutè refert alter *Augustinus* (De Civitat. Dei Lib. 4^to^) *Quid sunt Regna, nisi magna Latrocinia?* Quamobrem, hæc (sanè) commodè inulit per modum Votæ, Quod & Scriptura confirmat; *Psal.* 9. 4. *Sedisti in Solio, qui dicaris Justitiæ.* Felicius certè quàm Illud ——— *An consciscitur sibi Solium Arcumque, formidatis molestiam prius Senatum*, vid. *Psal.* 94. 20. (Ut *Tremellius* reddit) licèt paulò aliter versio *Anglicana*.

Tacti,

Græce, à Sedendo, dicitur: Sic Latine Sedes Episcopalis, &c. Throno. Est autem Majestatis Sedere, non Otii nec Quietis, Honores enim sunt Onera. Quod autem Author affirmat, Jus Pretiumque Thronum cingere, sane, Optimum Imperii Monumentum subnixit, Quod quo æquius, eo firmius & securius est. Sic *Horat.*

——*Hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi——

Nec male *Tiberius*, qui tondere Oves maluit, quam deglubere. Nec paulo melius Antecessor ejus *Augustus*, Pietate & Justitia, Principes Dii fiunt. Ac Ille sermo [illegible] apud *Thucid.* Lib. 6. Ἀνδρὶ Τυράννῳ ἢ πόλει ἄρχειν ἔχοντι, οὐκ ἄλλον τὸν σκοπὸν χρὴ τιθέναι ἢ ὅπως ἔσται ἰσχύων· *Regi aut Civitati, Imperium summum obtinenti, nihil absurdum quod utile est*; Sapientior multo *Hesiodus*,

——Τέρας δ' ἔκπαγλον ἰδόντες ἔγνω ἄνακτες,
Πανσυδίην ἀγορῆσδε, μάλα πρόφρασσι νόοισι.

Hoc unu Reges olim sunt fine Creati,
Dicere Jus populis, Injustaque tollere facta;]

Nihil autem Illa sententia fecit——*Ideo fi Libet* (in *Spartaco* in *Antonio Caracalla*) vel Illa Poetæ, ubi personam loquentem inducit sic——

Semperne vis tua pars, & pendere justa,
Incipiet——

(*Lucanus lib.* 8. *Pharsal.* ad *Ptolemæum*) Verissimum autem & honestissimum Oratoris Effatum (*Cic.* in Paradox.) *Jus & æquitas Civitatum Vinculum*: Sive (secundum Authorem) Cingulum, quo continentur omnia.

Euge | Gemma Dei | Felix per Crucis Trophæum
Aſcendas claves cœlorum ſumma Sacri.

Euge. A Græco εὖγε; Etſi autem ultima Syllaba vix reperitur longa; tamen eleganter mihi videtur & ex Induſtria Moram in Laudando ducere. Quod tamen per Diaſtolen certe defendi poteſt. Ut, Italia, Priamides. Exercet Diana choros.

Gemma. Vel ea quæ in plantis efflorescit, quaſi divinum germen; Vel quæ inter lapides, Pretioſa dicitur, Mal. 3. 17. Sanctos appellat quaſi Segullah Hebraice, Græce, περιούσιον. Junio, Peculium. Res nempe magni pretii, quales in altilo reponuntur, vel in Apotheciis aſſervantur. Gemmis etiam Sanctam Urbem exornatam eſſe deſcribit *Johannes* in Apocalypſi. Quæ autem hic Gemma poſſit Intelligi, melius inquirendum. Fortaſſe Unio, ſi ſpectes Pacem: Topazius, ſi Lucem: Adamas, ſi Robur: Amethyſtus, ſi Temperantiam: Ut quod de *Julio Cæſare* dicitur, —*Sobrius ad Reipub. evertendam acceſſiſſet*; Hic ad conſtituendam. Virg. Ecl. 7.

—*Jam læva tumescit ab pulvine gemma.*

In quem locum, *Victorius* (Lib. 10. ca. 20.) Gemmæ in Vitibus & Arboribus tranſlate dicuntur (Quod vel Grammatici pueri non Ignorant) Sed eſt Tranſlatio à Lapillis pretioſis. Neceſſitate autem Ruſtici dicunt Gemmam in Vitibus. Quid enim diceret aliud? (inquit *Fabius Quinctil.* Lib. 8. ca. 6.) Gemmæ vero puræ & probatæ, non ſolum ſplendore præ lucent, ſed Virtute præſtant. Ut juſte *Lipſius* exclamet—*O vera Jeſum & legitimum Illum Principem, qui in ſummo faſtigio, non Magnus magis, quam Bonus audire deſiderat! Qui duas res diverſiſſimas miſcet, Potentiam ac Mideſtiam: Quem prodeuntem, certatim velut beneficium, & ſalutare aliquod Numen aſpicimus; Inter Amorem Timoremque medii, & alterius Judicii ambigentes, Dominum ne ſalutent, an Patrem.* Sic & miſcet oculos Gemma, & Saluti prodeſt.

Etſi

Etiã a malignis Poetarum assectis, Illud Increbuit, *Felix.*
——*Prosperum & felix scelus Virtus vocatur*; Et
Illud alterum prophani Poetæ,
——*Cavent sucessibus opto,*
Quisquis ab Eventu facta notanda putat;
Tamen attende, quid regeratur——Nos, non ut Mahumetanos aut Ethnicos, sed Christianos velle censeri; Sit sane verum Illud aliquo sensu! *Omnia omnibus extrema similiter evenire.* Eccl. 9. 2. *Eundem esse Eventum Quibuscunq́*; neque extimâ facie Providentiæ posse cognosci; Tamen & Illud Patris Ipsius memorabile est, Psal. 35. 27. *Beatus Dominus, Qui delectatur Pace*, sive (ut nos) *prosperis rebus Servi sui.* Fœlix autem & Beatus, à Grammaticis sic discriminantur, Quod Fœlix (εὐδαίμων) etiam in Via; Beatus (μακάριος) non nisi in Patria possit esse. Ovid.
——*Dicíq́ beatus Ante obitum nemo, &c.*——
Sive per decollationem, Latini dicunt Cervicibus insistere. *Per Colla.*

Pro Tyrannorum; Critici quidam asserunt, quod cum Accusat. Sing. exit in um, Contractio in Gen. Plurali esse non debeat, ne ratio Casuum confundere-tur. Resp. Non sæpe quidem hoc reperiri; aliquando tamen, Ut *Virûm* apud *Virgil.* Nota Apostrophes ab Accusat. Sing. distinguente. Tyranni autem Nomen, honesto sensu apud Antiquos usitatum, mala posterorum administratione depravatum est, atq; corruptum. Quos vero poeta hic intelligit, cuique per illorum Gesta liceat opinari. *Tyrannum.*

Respub. Navi similis, Quæ fluctibus, ventis, Tempestatibusq; vexatur. Magistratus alter Tiphys est, qui Eandem dirigit in Portum: unde ad Clavum sedere, & gubernare dicitur, *i. e.* Principem agere. Qui si Peritus ac prudens est, Qua flatus se aliquis ostenderet, vela dat, ut *Cicero* cum Inconstantiæ in suis de Republ. Sententiis incusaretur, sic se defenderet (Orat. pro *Plancio*) *Neq́ enim Inconstantis puto Sententiam, tanquam aliquod Navigium, æq́ cursum ex Reipub. tempestate moderari.* *Clavi.*

Te decent Titulus, Sanctos servare per ævum;

Charus eris Populo, charus & Ipse Deo.

Titulus. NEmpe Protectoris. Verus est verbum —— *Interest Magistratus, tueri bonos, & animadvertere in malos.* In eundem fere sensum Apostolus, Rom. 13. 3, 4. *Vis igitur non timere à potestate? Fac bonum, & Laus erit Tibi ab Ea: Minister enim est Dei; Sed Tibi ad bona; & si malum facias, Time; nequaquam enim frustra accinctus est gladio, &c.* Studendum autem est, & Elaborandum, & summa ope adhitendum, ut conveniant rebus Nomina; Ne more Paparum simus *Sanctissimi*, falsi nominis, & Monetæ, ut *Bonifacii*, *Clementes*, *Urbani*, *Innocentii*, *Pii*, *Eugenii*; Titulo tenus; Moribus contrarii: Sic *Rehoboam*, nomine Dilatator populi; revera, à Duodecem Tribubus ad Decem pulchre dilatavit. Sic *Zedekias*, fœditragus atque perjurus, Justitiam Dei significat. Sic *Absolon* dicitur Patris pax, qui bellum atrox in Patrem excitavit. Nimiumq; multa sunt Ejusmodi. Quamobrem non abs re, sed prudenter sane monet Author, excellentes Titulos commonefacere debere Principes, ne à rei veritate degenerent.

Sanctos servare. Non ut Illi, *Qui* (ut ait *Salustius* ad *Cæsarem*) *eo nimiùm ortos esse Reges censent, quo Illi quibus Imperitant, nequiores fuere*; Sed errant —— Nam ut pessimus quisque est, ita asperrime Rectorem patitur. Jure igitur Idem consulit. *Cum Ipse bonus atque strenuus sis, dandam operam, ut quam Optimi Imperites*, nempe ut Illum Imitere, qui dicitur Rex Sanctorum, Rev. 15. 3.

Per Ævum. *Ἀιὼν διὸς*. Philosophi, Tempus, Ævum, Æternitatem sic distinguunt —— Quod Tempus, & Initium habeat

&

& Finem: Ævum, non careat Initio quidem, Fine careat; Æternitas, utroq; Hic vero, per ævum, *i. e.* perpetuo, indesinenter, ut per Dies, Noctes, Horas.

Quantum ad *Salutem* Principis conferat Populi Charus eris. Charitas, passim apud Historicos patet; Quantumq; odium valeat ad pestem. *Malum est Custos diuturnitatis. Metus* (*Cic. Philip.* 2.) Idemque, *Nulla vis Imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna* (Offic. 2.) Quia quem metuunt oderunt, Et quem quisque odit perisse expetit. Stolide igitur, non minus quam Tyrannice, Monstrum Illud Hominis *Caligula*, *Oderint* (ait) *dum metuant*; Sensit Ille tandem Id quod dicitur—— *Multorum Odit nullus opes posse resistere: Tam multis enim periculis patet, quam multis Ipse periculum est.* Et ut *Seneca*, Tragœdus optime,

——*Nec esse multos timeas, quem multi timent.*

Et alter Ejusdem nominis Philosophus——*Neq; Illas ipsas manus quibus Tuipsum communisti, à secutus aspiciat.* *Sen.* de Clementia. Quare quod Ille *Mitio Terentianus*, de Patris Imperio, Idem de Principis potestate & Regimine dicendum (In Adelphis)

——*Et errat longe mea quidem sententia,*
Qui Imperium credit gravius aut stabilius
Vi quod sit, quam Illud quod Amicitia adjungitur, &c.

Et paulo post,

——*Hoc patrium est patim consuefacere filium*
Sua sponte recte facere, Quam alieno metu——

Hoc Pater & Dominus interest, Neq; abludit Illud; optime consultum filiis, à *Marco Antonino*, Imperatore & Philosopho, apud Herodian. Lib. 1°. Ὅσῃ δυνάμει ῥᾴδιον ἴσχυσα φύσαι ἡ Ἀρχέλαος, οἱ μὲ φοβεῖσθαι ἢ ἐκ ὑπηκόων εὐνοϊκῶς. Μάλιστα δ', ἐκείνοι ἐκ Ἀρχῆς μᾶλλον ἀνηνύτοις ἄλγεσιν, ὅσοι μὲ ἀδίκως ἐξ ἀρχῆς ἐπάνηλθον, τοῦδε δ' ἕνεκα χρεὼν ἦν, τοὺς ἐκ ἀρχῆς ἀρχὰς ἐπιτηδεύειν. Οὐ γὰρ ἐκ ἐξ ἀνάγκης ἀνίσχυροι, ἀλλ' ἐκ μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας, ἀνύποπτοι, ἢ ἐξ ἀπλοκείας πραότητος, ἀφθόνως τε ἢ μὴ πικρῶς διαιτᾶσθαι, &c.

O memores ſemper per quos Miracula Belli
Dixit ab Ægypto Teq; Tuaſq; Deus!
Quis tua geſta canat? Quæ tanta pericula narret?
Quæ tu perpeſſus, Millia mille modis.

O. ALiquando admiranris; quandoq; etiam Dolentis; Hoc loco Ardentis affectus plena Exclamatio. Habet etiam Incitantis Hortantiſq; rationem.

Memores. Memor ſum apud me; Memoro apud alios. Utrumq; in Illo notiſsimo *Virgilii* verſu (*Æneid.* 7°.)

Et meminiſſe tuum Divæ, & memorare poteſtis.

Eſt autem Gratia & Beneficentia Divina, conſtanti memoria retinenda, & apud alios propiganda: Cui rei Monumenta rerum geſtarum; Solennes Supplicationes Theologorum: Poetarum Epinicia inſerviunt.

Miracula. Et Miranda, Prodigia & Portenta, ſic differunt. Miracula ſunt, quæ extra orbitam naturæ, & potiſſimum quæ humanæ ſaluti conferunt. Miranda, quæ etſi Cauſarum viribus Secundarum, nobis tamen Inſolita & Eximia occurrunt. Portenta, quæ miros & plerumq; diros Eventus præfantur atq; prædicunt. Prodigia, quæ communes etiam Cauſas egrediuntur, idq; ut plurimum in rebus Phyſicis, materiæ ſive exceſſu, ſive defectu. Hæc vero Miracula, pro miris inuſitatiſq; rebus geſtis (in quibus etiam τὸ Θεῖον apparet) recte ſumi poſſunt.

Ab Ægypto Hic alludit Author ad populum Dei Ægyptiaca ſervitute oppreſſum, & à ſtatu Ignobili & obſcuro, ac velut Erratico & Vagabundo exerta manu divina deductum ad Terram promiſſam, fluentem Melle & Lacte. Quoſdam ab aquis extractos, alios è Tenebris: nonnullos a lateribus faciendis, vel etiam a gregibus cuſtodiendis, ut fiant ποιμένες λαῶν, & paſcerent Oves Populorum. Ut *Pſ.* 78.

Geſta. A gerendo: ut Acta ab agendo: Utraq; a manendo, vel etiam monendo Monumenta dicuntur. Solent autem Hiſtorici & Poetæ, Magnorum Virorum res geſtas perſcribere, hac maxime de cauſa, ut *Herodot.* Lib. 1. Initio. διὰ τὸ μὴ ἐξίτηλα γενέσθαι; Ne temporis Injuria deleantur & evaneſcant.

Canat. Quia Poetæ plerumq; Memorabilia verſibus condebant,

bant, Quæ olim in vicis Triviisq; ac per compita canebantur, ideoq; Carmina dicebantur & Cantus. Unde *Homer.* Odyſ. 1°. Ἀοιδὴ μὲν ἔπειτα μέλῃ, Inde, Ἐπῳδὸς dictum. Et Iliad. 1°. ——Μοῦσα δὲ δεῦτε θεαὶ, ex quo ὦδὴ, ut obſervavit *Euſtathius*, Sic *Virg.* *Arma Virumq; cano.* Uſq; adeo etiam Tympanis tubiſq; bellorum convenire hæc Muſica viſa eſt. Idemq;

——*Sine Tempora circum*
Inter victrices hederam Tibi ſerpere Lauros.

Quæ experiri ſolent homines, in hac Malitia vitæ Communis. Multo verius Duces Militesq; periculum facere dicuntur, Qui quotidie velut in manibus animam ſuam portare videantur. Unde Illud *Cæſaris* in tranſitu Rubiconis——*Jacta eſt Alea.* Et tritum ſermone proverbium——*Alea Belli*, pro diſcrimine. Et *Virg.* de *Æneâ.* *Pericula.*

Multa etiam bello paſſus—— Et paulo poſt,
——*Tot volvere caſus Inſignem pietate Virum.*
Quia τὰ πολλὰ (inquiunt) κακὰ, &——
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium——

Neq; enim eſſent Miracula, ſi non præceſſiſſent pericula. Pulchre Seneca, & ad rem—— *Gubernatorem in tempeſtate: in acie Militem intelligas.* Calamitas Virtutis occaſio.

Paſſus ſimpliciter dicitur; Perpeſſus, conſtantiam patientiæ conjungit, Ut Illud—*Nam vigilare leve eſt, pervigilare grave.* *Virg.* de ſuo *Æneâ.* *Perpeſſus.*

——*Multa quoq; & bello paſſus.*

Hic vero aliquid amplius innuitur, Qui tot labores non affecerit modo & incohaverit, ſed perfecerit, atq; abſolverit, ad exitumq; perduxerit.

Numerus certus pro incerto. Vel Hyperbole. Eſt autem Mille numerus omnium abſolutiſſimus poſt quod aliud numeri nomen omnino non eſt. Varia vero vitæ diſcrimina quæ in Caput humanum expetunt, maxime autem in edito & officiis publicis conſtitutum, copioſe dinumerat Apoſtolus. 2 Cor. 11. v. 25, ad 30. Quem locum conſule. *Millia.*

Recte quidem! Non modo varia, ſed varii generis diſcrimina eſſe ſignificat: Nam (ut ait Ille) *Si recte calculum ponas, ubiq; naufragium eſt.* *Mille modis.*

Etſi

Gratus erat Moſes Domino; Tu gratior Illo:
Hunc luſtraſſe oculis; Te dedit Ipſe frui.
Hic Canaan tantum vidit de Monte Nebonis;
Tu Solyma frueris, melliſluoq; Solo.

Gratus erat, &c.

ETſi hoc Judæi ægre laturi forte ſint; ferendum tamen eſt, ſi rectè & in Figura intelligatur, quoad rem ſubjectam: Quo glorioſius eſt, quamque operam conſummare (ſi fœlix fauſtaque ſit) quam attentare ſolummodo. Poſſeſſio certè Terrarum, quam Proſpectus delectabilior eſt, & Jucundior. Hæreditas Ipſa, quam de Hæreditate Lis, dubitatio, contentio, pugna, ſpes, Expectatio ſola. Vitam quæ faciunt beatiorem & (ait Epigrammatiſta) Res non parta labore, ſed relicta; Sed etiam honeſtè parta delectat. Notum autem eſt iis, qui in S. Scriptura vel mediocriter verſati ſunt, Moſen, Servum Illum Dei familiarem, tot Miraculorum Opificem, tot hoſtium Victorem, in fine ſpe ſua excidiſſe; Et ſive ob Infidelitatem, ſive ob Iracundiam, ſive quacunque alia de cauſa viderint Interpretes, Terra Canaanitide excluſiſſimum fuiſſe; Tantummodo, à Monte Sancto Spectatorem ejus, non Hoſpitem aut Incolam extitiſſe. In hac re igitur ſola inſtituitur Comparatio.

Luſtraſſe.

Extrema linea Terentiana; Viſus, Quo Amor Initio conciliatur (*Ter. Eunuch. Act. 4. Sc. 2.*) Etſi rem deſiderabilem, qua frui non licet, Invidiæ potius eſt, & doloris, quam delectationis, occaſio. Luſtrare etiam pro Purgare dicitur. Et Luſtrum abſolutum Quinquennii ſpatium, Quo populum aut Exercitum Publicis Sacrificiis luſtrare ſoliti ſunt.

Frui.

Frui & Uti ſic differunt: Quod fruimur cum voluptate; Utimur Neceſſitate; Cum hæc duo conveniunt Uſus Fructus

Fructus dicitur. Κτῆσις autem possessio sola non prodest, nisi sit ἀπόλαυσις, Eorum quæ possidentur fruitio. Ut Horat. — Quo mihi divitiæ si non conceditur uti? Absq; hoc, Tam deest Avaro quod habet, quam quod non habet.

Canaan.

Terra Promissa! a Canane, filio Chami, quod Patri suo puerulus Nuditatem Avi Noachi demonstraverit (ut putat Junius) maledicto. *Gen.* 9. 25. Servus Servorum erit per Hebraïsmum, i. e. Maxima vilissimaque servitute addictus Fratribus suis. Ex quo, sed longo temporis Intervallo, factum est ut traderetur Illa tota Regio Filiis Israelis possidenda, omnesq; Incolæ in חרם hoc est, Internecione delendi.

Nebenis.

Deut. 34. 1. Postea ascendit Moïsche e campestribus Moabitarum, in montem Nebunis, in verticem illius Collis, qui est in conspectu Jerichuntis; ubi ostendit ei Jehova totam terram a Gilhade Danem usque, &c. Vide Fullerum de prospectu Pisgæ.

Tu Solymam

Poetæ Gentiles appellabant Solymam; Historici, Hyerosolymas, ut arbitror a Solomone. Olim vero Jebus dicta fuit. Deinde Hierusalem, apud Hebræos, A Visione Pacis cognominata. Clarissima Civitas, tum Magnificentia Urbis ac Templi, tum Numero Civium, tum (Quod maximum) præsentia Numinis, ibi quasi Inhabitante & Incola.

Mellisluoque

Sic Ovidius, Auream Ætatem elegantissime describit,

Flumina tum Lactis, tum flumina Nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Solo.

Unde liquet, ubertatis & abundantiæ vim maximam Lacte & melle subinnui: Quod & Ethnici, per Κήρας Ἀμαλθείας sive Cornupiam denotarunt. Quomodo Copia Terræ Angliæ (ad quam hic alluditur,) hoc Carmine continetur. Anglia, Mons, Pons, Fons, Ecclesia, Femina, Lana. Cui addi potest ex Alfredo Poeta de Beverley apud Heil. in Geogra. fol. 257. —

Insula prædives, qua toto vix eget Orbe,
Et cui non totus indiget Orbis ope,
Insula prædives, cui nil mirabile, & optet
Delicias Solomon, Octavianus opes.

Jam Divinus Amor Domini Te absorbeat Unctum ejus, Ingq; repurgandis se tibi cura Sacris.

Jam Divinum, &c.

PRo beneficijs amorem rependere minimum est retributionis genus. *Psal.*116.16. Quid retribuam? Revera, magna Beneficentiæ mole nos opprimit, & quasi gravat pondere debitorum. Ut graviter solideque dixerit Petrinus Imperator apud Herodianum (*Lib.* 2.) Ἐμοὶ δὲ μηδὲν ἀνθρώπων ἐπὶ τῷ ἐξαίρετον σφῶν τὸ αἰδοῖον ἐκτεθῆναι, Δεῖν τὸ μὴ ἀγαπᾶν ὑπὲρ μικροῦ ἡγοῦμαι; *i. e.* Me autem contra, magna scilicet Ista atque Egregia, sicut Honoris sensa obstupefaciunt, ita metu quodam curaque solicitant. Tum illam sententiam pulchre subjecit.— Ἁπλῶν γὰρ εὐεργετῶν ἀπαγορεύειν, τὸ ἐκπρεπὲς διάνοιαν ἐστί; *i. e.* Siquidem arduum imprimis est, magnis acceptis Beneficijs paria referre.

Absorbeat.

Quasi devoret, atque in sese convertat. Ut *Job.* 2. 17. Ὁ ζῆλός σου σε κατεσθίει με. Eadem plane Phrasi usus est Apostolus, 1 *Cor.*15.54. Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος: Absorpta est mors ad victoriam. Et alibi, 2 *Cor.* 2. 7. μή πως τῇ περισσοτέρᾳ λύπῃ καταποθῇ ὁ τοιοῦτος. Quod apte Beza reddit, Ne quoquo modo, redundante tristitia absorbeatur Vir hujusmodi. Altiores vero Amoris sunt vortices quam Doloris: Amare enim quasi mare quoddam, cujus æstu immergamur omnino, & quasi obruamur flumine deliciarum.

Unctum Domini.

Titulus Principibus in Scriptura sacra passim ascriptus, ut *Psal.* 105. 15. Ne attingite unctos meos, & Prophetas meos ne afficitote malo. Quod tametsi ad populum Dei referatur, præcessit enim, v. 14. —etiam reprehendit propter eos Reges (Abimelechum scilicet propter Abrahamum & Isacum) tamen de Patriarchis dici patet, Qui quasi Principes Familiarum erant, à Quibus omne Dominandi jus ex familiari & Despotico Imperio, ad Politicum transisse, rectissime creditur. Unde non sine causa, nec ut hoc Illius ambitus darent, Filij Cheth Abrahamo respondent, *Gen.*23.6.—Domine mi. Princeps Dei Tu inter Nos, vel Princeps Magnus. Summa enim quæq; & eximia, quodam Idiotismo

Hebræ-

Hebræorum Deo attribui notum est. Solenne autem erat Imungi Principes Judæorum, sicut omnes sciunt: Qui usus etiam apud Reges Angliæ Franciæq; inolevit; nec immerito! ut enim Aug. (Ser. de Verbis Dni. 23. c. 38.) commode notat — Charitas, sic etiam Dignitas oleo significatur: Omnibus enim humoribus Oleum supereminet; mitte aquam, & superfunde oleum, oleum supereminet; mitte Oleum & superfunde Aquam, Oleum supereminet. Si ordinem servaveris, vincit; Si ordinem muraveris, vincit.

Ut *Mal.* 3. 6. Dominus Ipse describitur quasi Ignis Conflatoris, ac ut Smegma Fullonum, ut sedet conflans & purgans argentum, ita purgabit Filios Levi (purgabit, inquit, neutiquam abfumet) defæcans eos, velut Aurum & Argentum, ut sint Jehovæ qui offerant munus juste, & unde in modum vera & summa Laus Principis, Vera & Pia, & solida Reformatio. Quo nomine Ezechias & Josias, Jure merito laudantur. Gens enim (Quod de Judæis Tacitus) quæ superstitioni obnoxia, Religionibus adversa est, Hist. Lib. 5. omnisque status, ut animus superstitione imbutus, quietus esse non potest. Cic. de Fin. Lib. 1. Hoc opus & studium restituendi & mundi cultus Divini, Eraitus Solis Magistratibus vindicat; Pontificij Ecclesiasticis; Utrique mea sententia, —— Dum vitant Stulti vitia in contraria currunt. Fœlicissima demum ea videtur Constitutio, quando Josiah cum Jehoiadah concurrit & sociatur. *Repurgandis.*

Quæ Doctrina, & Disciplina, & Modo colendi Deum continentur. Quæ cum Augiæ fabulis fœdiora, corruptiora, Hominum vitio facta sint, Herculem sibi ad Purgandum requirunt *Reformatorem* & Auxiliarium. *Sacris.*

Angligenarum tenuem sordescere sordibus altris,
Atque Britas rediere vetus ad pabula Pors.

SI Nomen spectes, ut Grajugenæ dicuntur quasi ab Anglis genitis; Rem, Aliqui ab Anglis Saxonicis deductos volunt. Narrantq; Historici quidam Fabulam de hac re *Angligenæ.*

non integram neque Inelegantem. Gregorium nempe magnum (tunc temporis in Ecclesia Romana Diaconum) conspectis forte venustissimis quibusdam adolescentulis, qui in Foro venum proſtabant, Interrogasse, Quinam essent, & unde, venirent? Responsum Anglos esse! plane inquit Angelis Similliimi. Porro Quærenti, qua de Anglorum Provincia? Redditum est De Provincia Deira (sic enim tum dicebatur pars Northumbriæ quædam) Itaque subjecit Ille, De Ira Dei sunt liberandi. Postremo cum percontando rursus, intellexisset Regem Ipsorum Alle nuncupatum, Quam apte inquit, Illi quidem Altissimo concinerent Alleluiah! Post id, Locorum omni ratione, Anglis ad Deum verum convertendis dicitur studuisse (erant enim antea Saxones, Pagani sive Gentiles) Quod & Pontifex postea Creatus effecit (aiunt) opera Monachi Augustini. Sic Heylinus, Geogr. fol. 265. Cujus rei penes Lectorem esto Judicium. Sane fatendum est, Quod & Ipse dat, hoc ad Anglo-Saxonas tantum pertinere. Britannia enim, sub Rege Primo Lucio, circa Annum Dom. 180. multo ante ad Fidem conversa dicitur. Sed hæc obiter; porro pergamus.

Timorant. Oderunt Peccare { Boni, Virtutis amore } Utrumq; suo
{ Mali, formidine pœnæ. } modo ad Religionem valet, sed potissimum Amor. 2 *Cor.* 5. 15. Charitas, inquit, Christi, συνέχει constringit nos; sin minus, Ad Illud oculos revocat & reflectit. v. 11. Scientes igitur terrorem Illum Domini, Homines ad fidem adducimus: Ut ait quidam de Nostris, Det mihi calcar Amor, det mihi Frena Timor. Sane timor Domini, a Patre Davide dicitur Principium sapientiæ. *Psal.* 111. *ult.* Et a Solomone Filio, Totum Hominis. Eccles. ult.

Sordescere Sordibus. Hellenismus, sive Hebraismus est. Unde & Latinis errorem errare, Insaniam insanire, *Jam.* 5. 17. Elias προσευχῇ προσηύξατο, tota animi contentione & viribus supplicabat: Sic geminatum, vim certe & Emphasin Sermonis intendit atque aggerat. Sordes vero non insulse Vitia dicuntur, quia commaculant animam contaminantque. Quod de Parricidio M. *Tullius* (pro Roscio Amerino) ex quo figura macula concepta est, usque eo permanat

manat ad animum, &c. Et in Pisonem — O cœnum! O Lutum! O Sordes! Sic Prophetæ passim Peccata Immunditias vocant. Vide. Ezek. ca. 16. & alibi.

Peccare, est quasi transilire lineas: Quare delinquentibus recte statuuntur Minæ: Leges, Admonitiones, velut Herculis Columnæ: Quibus Inscriptum fuit — Ne Plus ultra. *Job.* 5. 14. Ne pecces amplius, ut nequid deterius tibi fiat. *Ultra.*

Ficta Justitiæ Dea, quasi ab Astris delapsa. Græcis dicta Themis, a Legibus, quas appellant positivas. Ovid. De Sæculo Ferreo — Terras Astræa reliquit. Jam vero quasi postliminio revocata speratur. *Astræa.*

Abstractum pro concreto ponitur, viz. Justi regnent. Melchisedecum, Regem Justitiæ Interpretatur Apostolus. *Heb.* 7. Plato etiam Optimas esse asserit Respub. ubi aut Reges Philosophentur, aut Philosophi regnent. Quo declarat, Illis potissimum, Sapientiæ Jurisq; Scientiam curæ futurum: Quod optime imperia in suo statu continet. *Regnet.*

Quia Pauper ubiq; jacet, Jus illi, vel in Forma Pauperis agenti, ubiq; subveniat. Omnibus Curiis Præsidet atque dominetur Pietas atque Justitia. *Ubique.*

Apud Casuistas, Forum est — Externum justitiæ, Internum Conscientiæ: ad Prius pertinet jus, ad Posterius vero pietas: Ibi demum recte constat Resp. & Ecclesia, cum Utrumq; recte & ordine administratur: Sicut Author supra jus, pietasq; thronum, &c. Et hic non incommode ad hunc rem, Regnet ubiq; Foro. Romanum vero Forum, Locus erat publicus ubi rerum gerendarum sedes erat, & nescio quo malo fato, merces eodem loco expositæ erant, quasi etiam justitia prostaret — sicuq; verus est verbum, Omnia Romæ venalia. Multiplex etiam forum in illa urbe, ut Boarium, piscarium, &c. a Godwino memoratur. Ut sit sensus hic non solum in rebus religionis atque judicij, in Templo & Aula Westmonasteriensi, sed etiam, in mercibus emendis, vendendis & negotijs contrahendis Astræa Regina dominetur atque prævaleat. *Foro.*

Exalat

Exulet omne Nefas, redeat Jus Fasque per Anglos:
Inque Palatina sint Pia cuncta Domo.

Exulet. NEceſſe eſt ut Juſtitia Imperante, pellatur Improbitas, Quæ in Virtutis regno conſiſtere nequit, nec pedem figere. Neuriquam vero ſit, ut olim apud Athenas, ubi Optimus quiſq; velut Ariſtides, qui cognomine & re Juſtus erat, Oſtracismo, vel ut alibi, Petalismo, hoc eſt ſuffragiis Civium, Teſta Oſtreacea, vel Folio Oleagino Inſcriptis, Civitate movebatur. Vel apud Epheſios, quos ait quidam apud Ciceronem, uniuerſos morte multandos, quod hanc Legem fanxerint, Nemo inter Nos unus excellat. Sed hoc Loco ex ſententia Authoris, Vitia & mali mores in Inſulas relegantur. Et accomodeſane ad rem Plato ſapientiſſimus in eadem opinione verſatur, Qui in Politicis urbem aliquam condi voluit, quam ſtercore appellarent, ſive Morum Civitatem, ubi univerſi Impij atque Improbi cohabitarent, ne Bonos puroſq; Commercio ſuo contaminent. Quod & Proverbio notatur, Ne mala vicini pecoris contagia ledant. Et Juvenalis, grex totus in agris Unius ſcabie perit & porrigine Porci. Non enim conſtans Exempla, ubi reperiuntur, ſed latius evagantur, ut ait quodam loco Valer. Maximus.

Redeat Jus, Fasque. Quod antea Aſtræa redux dicitur. Figura quam Rhetores Commoratiouem vocant. Græci ἐπαναφορὰν. Jus autem & fas differunt. Fas enim eſt quod licet, jus quod Neceſſe eſt. A fando, fas dictum, unde Nefaria & nefanda. Et Dies nefaſti quibus Jus dici nefas erat.

Per Anglos. Ita ſupra per Evum, Continuationem, ſive propagationem, & perpetuitatem atque Univerſitatem quandam Significat. Vel per Anglos, i. e. per Angliam, ut Jus quaſi Circuitu quodam totam Regionem (ita ut Judices ſolent) peregrarer.

Palatina Domo, hoc eſt Palatio. Mantuani Felicißimumve Noſtratibus Interpretem Poetarum, Georgium Sandys, Verſum illum Ovidij, ex 1. Metamor. apte ad rem noſtram, ſic tranſtuliſſe.

Hic Locus eſt, quem ſi verbis audacia detur,
Haud dubitem magni dixiſſe Palatia Cœli:

Which

Which I would call
(Had I but boldness lent me) Heavens White-Hall.

Est autem necesse, bonum Principem, Magistratum, sive Dei Administrum, Bonum prius Oeconomum, sive Patrem familias esse: Ex familiis enim Civitates & Imperia oriuntur (Sic Aristot. Polit. 1.) Nam si quis propriæ Domui præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? (Sicuti non absre, aut recta ratione Argumentum duxit Apostolus. 1 *Tim.* 3.5.) Cujus rei negligentiæ Prophetæ (alioqui Viro Optimo) Eli male cessit. 1 *Sam.* 2.29,30.

Domus autem Imperantis, Exemplo esse debet toti Civitati, atque adeo Reipub.

Rectissime, Drusus, cum ei se Architectus, Domum tam affabre factam exædificaturum, polliceretur, ut nemo quid ibi ageretur introspicere posset cum Oculis (ut ait Plautus in Aulularia) emissitiis; Immo subjecit Optimus Princeps, Quid mereas, Si mihi tale Palatium conderes, ut universæ Actiones nostræ toti Orbi innotescerent? Tantum Ille bonæ Conscientiæ, & rerum gestarum gloriæ confisus est. Incipiat itaque oportet a Principe Familia Reformatio. Sicut pissime Dux & Imperator Populi Dei, Josua, fixum in animo suo & ratum habebat, Se una cum sua Familia, utcunque res se haberet, Deo servaturum. *Jos.* 24.15. Quod si malum videtur in oculis vestris colere Jehovam, Eligite vobis hodie, Quem colatis, sive Deos, quos coluerunt Majores vestri, qui habitabant trans flumen in illud, vel Deos Emoræorum, In quorum terra habitatis, Ego vero & Familia mea colemus Jehovam.

Aurea tunc ætas: tunc Auri Tempora; Quinta
Atque Monarchia Tu prior inde eluet.

NOn quod Auri libidine, Homines sine ratione per Fas Nefasque grassentur; Apage! Tunc enim vel maxime Ætas Ferrea est, cum — Effodiuntur Opes, Irritamenta malorum. Ovid. Met. 1. Sed Illa vere Ætas Aurea est & circumquaque Bracteata collucet, (Illa Auricalco contra cara non est) Quæ cognitione Dei, gratia, virtutibus femina splendet: Quæ pietate, Justitia, Innocentia, Frugalitate, Pace, vivit ac viget, ut Idem ait — Sine Judicis usu Mollia secura peragebant otia gentes! Qui vere Aureus Versus est, sententiæq; par. Vide sis ibidem plura, In Descriptione pulcherrimæ Aureæ ætatis, sive primi sæculi. Nota est Illa Divisio sæculorum, in ætates Quatuor, Quæ & Danielis statua delineari videtur. Dan. 2. v. 5. etiam ca. 8. & 11. Præstantissimum *Aurea tunc ætas.*

tissimum autem Metallorum esse Aurum, ——— Solidescere, pondere, pulchritudine, ——— ut ait Tacitus de Germania, Quibus impotens hominum libido pretium fecit. Quare & Venus Illa apud Homerum, Commendatitia esse dona posse visa est, quando ut dicerent χρυσῆ Αφροδίτη. Est autem revera Illa optima, quæ dicitur Horatio Aurea Mediocritas.

Ἐνγένεια, Quod genus Auream etiam vocat. Ætas vero Temporis quædam species est: Eleganter autem interdum, à specie in Genus amplificandi causa transitur.

Quorum tamen jam præterfectæ sunt, Assyriorum, Medorum atque Persarum, Græcorum, & denique Romanorum. Quinta restat. Nam quod aliqui Pontificem Romanum esse affirmant Quintum, nimis est quam putidum. Alii Imperatorem Germanicum; sed hæc satis angusta Imperia sunt; Quin Turcas potius assignent; Verum ista minime ad rem præsentem comperunt. Chiliastæ, sive Millenarii, ad Christi in Terris regnum per mille annos. Illud referri volunt Apocal. 20. 6. Aliique Locos Prophetarum abfuriora: Quæ si exturere vellem, non Commentarium, sed Justum Volumen excrescerent. Fatear hoc Dogma in Primæva Ecclesia invaluisse.

A Papia Johannis audituræ desumptum, qui illud quasi à Magistro acceptum tradidit; Unde Justinus Martyr, Irenæus & alii, in eam fraudem inducti sunt; Quidam etiam è recentioribus; Nostrates duos nomino, Medum & Twissum, doctissimos viros. Quos debemus de Ista Opinione verecundius & mollius Judicare. Cæterum de Papia Illo ait Eusebius, quod fuerit Ἀνὴρ σφόδρα σμικρὸς τὸν νοῦν, Imbecillis Ingenii &c. Et Ecclesia Christi posterior, Quod ex ea sententia quidam multa absurda & Cæsi nimium favencia deduxerant, Chiliastas velut Hæreticos condemnavit. Sed ego solummodo sensum Authoris, quantum animo comprehendere possim, exponam. Quinam Monarchiam, Spiritualis Christi Regnum esse. Cum in Throno Cordium constituta, Sceptrum Verbi Divini potentius, & efficacius, & fortius & latius administret; Cum Capita Sanctorum, Olea Spiritus, Intelligentiæ; Divinæ exornaverit; Cum Satanas una cum Satellitibus suis, sub pedibus Sanctorum conculcatus fuerit; Cum omnia Christi Instituta & Sacramenta, pure pleneq; administranda sunt; Cum Ejus Potentia, Authoritas, Majestas, Gloria, Inimicorum suorum oculos præstrinxerit: Cum denique Optimi quique Honore, Dignitate, gratia floruerint. Hoc quasi visibile Jesu Christi Imperium si quando ex anni parte perfectum emerserit, intelligetur.

Postremo Hæc Ecclesiæ Christianæ, malorum vepres, crebro purpuræ (aliquid tamen adhuc scoriæ retinentis (Isa. 1. 25.) Quintessentia, ut ita dicam, futura est. Beatus ille qui huic Operi Interesse, ne dicam Præesse potuerit.

Si quis super hac S. Scripturarum quibusdam obscuritate desiderit, Consulat Locos, quos brevitatis solummodo gratia indicare visum est. Apoc. 11. 15. Psal. 22. 8. 1 Thes. 4. 13. &c. Luk. 1. 32. Matt. 17. 14. 1 Cor. 15. 24. Quæ omnia peculiare Jehovæ suæ Christi Imperium designant: Quod & Sanctis communicandum patet. Dan. 7. 27. Hi quodammodo vicem Christi in Terris sustinent; Quod Romanus Pontifex falso sibi & injuria vindicavit.

FINIS.